

dæis, secundum autem omnium opinionem, in adventu Christi potestas Judaica prorsus fuit ablata & extincta.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Libri novi Testamenti sunt genuini.

PRIMÒ: Tales invenerunt Patres, quales habiti sunt, & nos habemus: Clemens Romanus in suis ad Corinthios Epistolis, Ignatius vicissim in suis ad Romanos, Traillianus & alios multa laudant loca, quæ ad amussim in codicibus sacris leguntur.

Secundò: Consentiunt cum libris V. T. de Deo uno, & maxime de incarnato. Et verò Matth. 1. Christus dicitur de Virgine natus: hoc ipsum prænantur Isaiæ 7. his verbis: *Ecce Virgo concipiet &c.* Et sic de adoratione Christi à Magis, de conversatione ejus cum hominibus, miraculis, passione, & resurrectione.

Tertio: 2. Petri 3. Scriptores canonici dicuntur expressè à Deo inspirati. Hinc sacra Synodus Tridentina decreto speciali definit inter Libros N. T. in canone adscitos esse divinam Scripturam, quam uti talem sub anathematis comminatione credere præcipit.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMÒ: Esto quòd hujusmodi libri ab hominibus scripti sint, sed auctores homines locuti sunt inspirati à Deo, ait S. Petrus Epist. 2. cap. 3.

Secundò: Neque verò negamus libros aliquos Scripturæ esse apocryphos, sed hoc innuit, Ecclesiam, quæ uti tales declaravit, infallibilem esse in assignandis genuinis.

Tertio: Quandoque Evangelistæ non nihil inter se discrepare videntur, sed in levioribus, non quoad substantiam, vel etiam ex eo quòd quædam puncta ab uno Evangelista omisa sint, quæ aliis recensere æquum duxit. Cæterum tametsi quædam humana facta in novo Testamento recensentur, hoc unum probat, omnes scripturas non esse à Spiritu sancto dictante; sed contendimus esse à Deo assistente, adeoque nullum in illas irrepisse errorem.

ARTICULUS QUARTUS.

Unam ad Ecclesiam pertineat declarare quam sint veræ scripturæ.

HOC quidem momentum jam delibavimus, ostendendo ultimam fidei resolutionem fieri in Ecclesiam: quamobrem sufficit in præsentiarum dicere ad ejusdem veritatis confirmationem illud Christi oraculum Matth. 11. vers. 17. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Rursus ibidem cap. 23. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisei; quæcumque dixerint vobis servate & facite:* Apostolus ad Gal. 2. hæc habet quæ plurimum Ecclesiæ auctoritatem extollunt: *Ascendi Hierosolimam cum Barnaba, & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in gentibus; seorsum autem iis, qui videbantur ali-quid esse ne forte in vanum currerem, aut cucurrissem:* Suffragantur SS. Patres, Aliquorum celebriorem auctoritatem afferre non pigebit. Irenæus

lib. 3. adversus hæ. cap. 3. ait loquens de Ecclesia Romana: "Ad hanc Ecclesiam propter principaliorē principalitatem necesse est convenire, omnem Ecclesiam, hoc est, omnes, qui sunt, undique Fideles, in qua semper conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio." Eminent Cyprianus lib. 1. Epist. 3. "Nec enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata Schismata, quàm inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus judex cogitatur." S. Augustinus agmen istud gloriosum claudet aureis istis verbis lib. contra Epistolam fundamenti cap. 5. ubi sic exclamat: "Evangelio, non crederem, nisi Ecclesiæ me commoveret, auctoritas." Quamobrem ordo rerum postulat ut de diversis scripturarum canonibus ab Ecclesia probatis differamus.

De diversis scripturarum canonibus, ab Ecclesia receptis.

CANON definitur sacrarum Scripturarum catalogus publicæ auctoritate & unanimi consensu, five antiquæ Ecclesiæ quæ dicitur Synagoga, five novæ, quæ & Christi, approbatus & receptus est.

Duplex pro utroque Testamento Canon refertur, unus proto-Canonicus; alter verò Deutero-Canonicus. Prior continet libros de quibus nunquam fuit dubium, posterior verò cæteros.

§. I.

De Canone Librorum veteris Testamenti.

CANON proto-Canonicus continet 22. Libros, quinque scilicet Moysis, Prophetarum 13. in quibus quiddam à morte Moysis, usque ad Artaxercem Longimanum actum est, describitur. Quatuor alios cantica & morum præcepta referentes. Ita Josephus lib. 1. adversus Appium de Canone primo Hebræico, sic cum illo censent in lingua Hebræica versatissimi, Melito, Origenes & Hieronymus.

Origenes apud Eusebium lib. 6. cap. 25. illos sequenti ordine numerat. 10. Genesim. 20. Exod. 30. Leviticum. 40. Numeros. 50. Deuteronomium. 60. Librum Josuè. 70. Judicum & Ruth. 80. Duos priores Regum. 90. Duos posteriores. 100. Paralypomenon. 110. Utrumque Esdræ. 120. Psalmos. 130. Proverbia. 140. Ecclesiastem. 150. Cantica. 160. Isaiam. 170. Jeremiam unà cum Threnis & Epistola. 180. Daniëlem. 190. Ezechielem. 200. Job. 210. Esther. 220. Omisit unum, qui non est alius quàm minorum Prophetarum liber.

S. Hieronymus in Prologo Galeato in tres partitur classes Libros sacros veteris Testamenti. Prima legem continet, scilicet Pentateuchum. Secunda Prophetas; sed Baruch & Epistolam Jeremiæ omisit. Tertia, Agiographorum libros eodem ordine recenset cum Origene. In antiquis Catalogis Esther non invenitur; certum est tamen apud Judæos fuisse Librum hunc ut sacrum habitum; id enim testantur Origenes & Hieronymus in Hebræo versatissimi. Cæteri qui non sunt in hoc Canone, ut Sapientia, Ecclesiasticus, Judith, Tobias, Machabæi ab antiquis Doctoribus apocryphi dicuntur.

Moses volumen legis non in arca, sed in latere recondi jussit, ut habetur Deuteron. cap. 31.